

## AUSONE

## BISSULA (40 vers)

AVSONIVS PAVLO SVO S. D.  
(Oratio soluta)

B\_1

## PRAEFATIO

B\_2 v.1 Ut voluisti, Paule, cunctos Bissulae versus habes,  
2 lusimus quos in Suebae gratiam virgunculae,  
3 otium magis foventes, quam studentes gloriae.  
4 Tu molestus flagitator lege molesta carmina.  
5 Tibi, quod intristi, exedendum est : sic vetus verbum jubet  
6 compedes, quas ipse fecit, ipse ut gestet faber.

## AD LECTOREM HVIVS LIBELLI

B\_3 v.1 Carminis incompti tenuem lecture libellum,  
2 pone supercilium.  
3 Seria contractis expende poemata rugis :  
4 nos Thymelen sequimur.  
5 Bissula in hoc schedio cantabitur, haut Erasinus :  
6 admoneo, ante bibas.  
7 Jejunis nil scribo. Meum post pocula si quis  
8 legerit, hic sapiet.  
9 Sed magis hic sapiet, si dormiet et putet ista  
10 somnia missa sibi.

## VBI NATA SIT BISSVLA ET QVO MODO IN MANVS DOMINI VENERIT

B\_4 v.1 Bissula, trans gelidum stirpe et lare prosata Rhenum,  
2 conscia nascentis Bissula Danuvii,  
3 capta manu, sed missa manu dominatur in ejus  
4 deliciis, cujus bellica praeda fuit.  
5 Matre carens, nutricis egens, nescivit herai  
6 imperium, domini quae regit ipsa domum,  
7 fortunae ac patriae quae nulla obprobria sensit,  
8 ilico inexperto libera servitio,  
9 sic Latiis mutata bonis, Germana maneret  
10 ut facies, oculos caerula, flava comas.  
11 Ambiguam modo lingua facit, modo forma puellam :  
12 haec Rheno genitam praedicat, haec Latio.

## DE EADEM BISSVLA

B\_5 v.1 Delicium, blanditiae, ludus, amor, voluptas,

2       barbara, sed quae Latias vincis alumna pupas,  
 3       Bissula, nomen tenerae rusticulum puellae,  
 4       horridulum non solitis, sed domino venustum.

AD PICTOREM DE BISSVLAE IMAGINE

B\_6     v.1     Bissula nec ceris nec fuco imitabilis ullo  
           2       naturale decus fictae non commodat arti.  
           3       Sandyx et cerussa, alias simulate puellas :  
           4       temperiem hanc vultus nescit manus. Ergo age, pictor,  
           5       puniceas confunde rosas et lilia misce,  
           6       quique erit ex illis color aeris, ipse sit oris.

AD EVNDEM

B\_7     v.1     Pingere si nostram, pictor, meditaris alumnam,  
           2       aemula Cecropias ars imitetur apes.